

quis occurrat in vultu.  
tu dicitis quod repulisti nos: et non egre-  
ssus in virtutibus nostris. **Q**uia nobis  
retribulatio: quia vana salus ho-  
minum. **Q**uia faciemus virtutes: et ipse ad-  
iudicabit tribulantes nos. **Ps. 115.**  
Iudicis deprecatione mea: in terra  
inimici mei. **F**imilis terre ad te cla-  
mavit: et non audivit: cor meum in petra re-  
surrexit. **R**eduxisti me quia factus es spes  
in fortitudine tua facie inimi-  
ci. **I**n iniquitate mea non in-  
clamaui: in clamore iniquitatis  
meae non clamavi. **I**n

et cord  
Si in  
Eccl. 1. 1. 1.



P. e. 87

T. VII, 894.

III 4/10 J V 16

77

DE VERBO DEI,  
THESES THEOLOGICÆ.  
de quibus

IN NOVO COLLEGIO MAURITIANO  
disputantibus

• οὐκ ἀεὶ

respondebit

Illustris & generosus Dominus, Dominus  
JOHANNES ERNESTUS  
Comes in Nassavv &c.

Præfide

GREGORIO SCHÖNFELT D.



CASSELLIS

die 3. Novembris mane hora 7.

ANNO 1599.

10

DE VERBO DEI  
THESES THEOLOGICAE  
AUCTORIS  
JOHANNES  
CREDITUS

10



# DE VERBO DEI,

Theses Theologicae.

**T**

I.

THEOLOGIA est verbi divini cognitio ad spem vitæ æternæ.

Tit. 1. v. 9.  
1. Tim. 2. v. 15.  
Iohan. 5. 39.  
1. Pet. 4. 11.  
1. Tim. 6. 3.  
Rom. 15. 4.

II.

Verbum divinum est verbum, quod Deus vel per se, vel per ministros suos hominibus revelavit.

III.

Per se verbum suum tribus modis revelasse scribitur, visione, somnio, sermone.

Num. 12. v. 6.

IIII.

Exempla visionis sunt in Efaia, in Petro, Paulo, Iohanne & aliis.

Esa. 6. 1.  
Act. 10. 10.  
Act. 16. 9.  
2. Cor. 12. 4.  
Apoc. toto libro ferè.

V.

Somnii, in Iosepho Patriarcha, in Pincerna, Piftore, Pharaone, Nebucadnezare, Iosepho, Magis.

Gen. 37. 7.  
Gen. 40. 5.  
Gen. 41. 1.  
Dan. 2. 1.  
Dan. 4. 2.  
Matth. 2. 12:13.

VI.

Sermonis deniq; exempla sunt cum Deus voce expressâ protoplastas, Israelitas, discipulos Christi & alios præterea quam plurimos affatus est.

Gen. 2. 16.  
Gen. 3. 16.  
Exod. 20. 1.  
Matth. 3. 17.  
Matth. 17. 5.

A 2

Verbum

## VII.

Verbum Dei per ministros revelatum est, quod vel per angelos vel per homines Deus locutus est.

Gen. 16. 9.  
Gen. 31. 11.  
Num. 22. 32.  
Iud 13. 3.  
Lucæ 1. 30.  
Matth. 1. 20.  
Lucæ 2. 10.

## VIII.

Per Angelos quidem Agari, Jacobo, Bileamo, Manoæ, Mariæ, Josepho, Pastoribus, Apostolis & multis aliis Verbum sum patefecit.

Actor. 1. 11.

## IX.

Per homines verò, cum per os sanctorum, qui à seculo fuerunt Prophetarum suorum, locutus est.

Lucæ 1. 70.  
Hebr. 1. 1.  
2. Pet. 1. 21.

## X.

Hoc verbum aliquandiu fuit ἀγραφον, per traditionem & vivâ voce in Ecclesia propagatum & conservatum: Nunc ἑγγραφον est impulsu afflatuq; divino (per sanctos Dei homines) in literas relatum.

2. Tim. 3. 16.  
Exo. 17. 14.  
Exo. 34. 28.  
Apoc. 1. 11.  
Apoc. 14. 13.  
Psalm. 45. 2.

## XI.

Unde hæ literæ dicuntur sacræ, θεόπνευστοι; scriptura sancta, testamentum, vulgò Biblia.

2. Tim. 3. 15.  
Roman. 1. 2.  
2. Cor. 3. 14.

## XII.

Dividitur hæc scriptura in Propheticam & Apostolicam.

Ephes. 2. 20.

## XIII.

Prophetica dicitur ea, quæ ante Christum è muliere natū edita est, Synecdochicè vocatur vetus testa.

Rom. 1. 2.  
Galat. 4. 4.

testamentum propter legem, quæ illius potissima pars est. Act. 26. 27.  
Hebr. 1. 10.

#### XIV.

Complectitur libros hos Pentateuchum Mosis librum Josuæ, Judicum, Ruth, priorem & posteriorem Samuelis, Regum, Paralipomenon; Ezræ, Nehemiæ, Estheræ, Jobi, Psalmos, Proverb: Ecclesiast: Cant: Canticorum, quatuor Prophetas majores & 12. minores.

#### XV.

In horum vero complexu & catalogo censendi non sunt apocryphi illi, ut liber Tobia, Judith, Baruch, adjectiones ad librum Danielis, & Estheræ, libri Machab. lib. Sapientia, Ecclesiasticus, precatio Manassis, liber 3. & 4. Ezræ.

#### XVI.

Hi enim non à Prophetis, nec Prophetica lingua scripti, neq; à Christo & Apostolis lecti aut allegati sunt, nec ab Ecclesia Israelitarum, cui tradita fuerunt eloquia Dei, approbati, neque in iis ubiq; doctrinae pura puritas. Roma, 3. 2.

#### XVII.

Errant igitur Pontificii quod hos apocryphos, & maxime priores, Canonicos esse volunt & prophetis æquiparandos.

#### XIIX.

Apostolica scriptura est ea, quæ post Christum  
3 exhi-

exhibitum ab Apostolis & Euangelistis est conscri-  
pta, vulgò dicitur novum Testamentum propter  
Euangelium, quod hîc lege Mosaicâ magnâ ex parte  
abrogatâ Euangelii perfectio est amplior, & cog-  
nitio illustrior.

XIX.

Hujusmodi sunt libri novi testamenti ad unum  
omnes.

XX.

Porro hujus scripturæ observanda æstimatio  
& usus.

XXI.

Æstimatio est, ut eam *θεόπνευστον*, perfectam &  
perspicuam omnis fidei vitæq; Christianæ normam  
ac regulam agnoscamus & veneremur.

XXII.

Esse autem eam *θεόπνευστον*, omniq; autoritate &  
fide dignam, nobis constat ex certis rationibus & in-  
primis testimoniis locupletissimis.

XXIII.

Rationes ex ipsius scripturæ, <sup>caulis &</sup> adjunctis sumun-  
tur & sunt potissimum hæ: doctrinæ majestas; vati-  
ciniorum veritas; orationis sanctitas; miracula tam  
stupenda; mirabilis contra hostes vindicatio, san-  
ctorum martyria, & autorum deniq; ante vocatio-  
nem ruditas.

XXIII



### XXIII.

Quis enim ante vocationem Moses? quis David? Pastores; quis Jeremias? imperitus juvenis quis Paulus? Evangelii persecutor; qui Apostoli reliqui? Piscatores Laici; unde ergo iis tanta sapientia? tamq; repentina mutatio? quomodo tam divina scribere potuerunt sine afflatu divino?

### XXV.

Atq; hæ sunt rationes; quæ si non singulæ, conjunctæ tamen scripturarum autoritatem valde probant atq; confirmant. Sequitur de testimoniis.

Exod. 3. 1.  
1. Sam. 17. 34.  
1. Tim. 1. 13.  
Galat. 1. 12.  
Matth. 4. 18.  
2. Pet. 1. 21.

### XXVI.

Testimonia sunt partim divina partim humana,

### XXVII.

Divina sunt cum ipsius scripturæ, tum Spiritus sancti testificatio.

### XXIIX.

Scripturæ testificatio est, quâ ipsa sui ipsius veris. testis mutuis se firmat suffragiis testamentum vetus per novum, & novum per vetus asserendo.

### XXIX.

Veteris igitur testamenti autoritas suffragiis & scitis Novi & in genere & in specie probatur.

### XXX.

In genere quidem dicto illo Christi generali:  
Scru-

tamini scripturas, ubi generaliter intelligit & commendat totum vetus testamentum; novum enim nondum extabat.

### XXXI.

In specie verò, illo Christi testimonio: oportet impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Mosis, Prophetis, & Psalmis.

### XXXII.

Imò hoc ipsum, specialius adhuc demonstratur dum non tantum ex Mose, ex Prophetis & Psalmis, sed ex singulis ferè veteris Testamenti libris quædam passim in novo testamento citantur & explicantur.

### XXXIII.

Ex Mose & singulis ejus libris ipse Christus multa allegat.

### XXXIV.

Gen. 1. 27.  
Matth. 19. 4.  
Gen. 4. 8.  
Matth. 23. 31.  
Gen. 7. 5. 19.  
Luc. 17. 26.  
Ex Gen. Citat hæc verba: Nonne legistis qui initio fecit hominem, masculum & fœminam fecit eos. Sic allegat historiam Abelis: Noæ, Lothi; & ejus uxoris.

### XXXV.

Exod. 3. 6.  
Matth. 22. 29.  
Exod. 20. 1.  
Matth. 5. 21.  
Ex Exod. Citat hæc: Ego sum Deus Abraham, & Decalogum pene totum explicat.

### XXXVI.

Levit. 12. 3.  
Iohan. 7. 23.  
Ex Levitico ista: In Sabbatho circumciditis homi-

hominem; offer munus tuum quod præcepit Mo-  
ses.

Levit. 14. 15.  
Matth. 5. 29.

XXXVII.

Ex Num: ea: Moses panem de Cœlo vobis de-  
dit. Sicut Moses exaltavit serpentem. Nunquam le-  
gistis quod sacerdotes Sabbathis in templo Sabba-  
thum violant.

Num: 11. 7.  
Iohan. 6. 31.  
Num: 21. 10.  
Iohan: 3. 14.  
Num: 28. 9.  
Matth. 12. 5.

XXXVIII.

Ex Deut. hujusmodi adducit: Dominum De-  
um tuum adorabis & ei soli servies. Non tentabis  
Dominum Deum tuum. Non in solo pane vivit ho-  
mo. In ore duorum aut trium consistit omneverbū.  
Et legem deniq; de divortio disertè interpretatur.

Deut 6. 13. & 16  
Matth: 4. 10. 7.  
Deut. 8. 9.  
Matth: 4. 4.  
Deut. 19. 15.  
Matth: 18. 16.  
Deut 24. 1.  
Matth. 19. 7.

XXXIX.

Atq; ex Mose non tantum hæc à Christo, sed ex  
singulis ferè capitibus quædam ab Euangelistis &  
Apostolis in novo testamento allegantur, quæ brevi-  
tatis causâ nunc non enumero.

XL.

Ex Josua affertur historia de Jericho & Rahab.

Iosua 6. 10.  
9. 32.  
Hebr. 11. v. 30.

XLI.

Ex Judicum libro attinguntur res gestæ Baraki,  
Gedeonis, Jephthæ, Samsonis.

Iud 4. 6.  
6. 11.  
11. 4.  
13. 25.  
Hebr. 11. 32.

XLII.

Ex libro Ruth in genealogia Christi introduci-  
tur Boas & Ruth.

Ruth 4. 20.  
Matth. 1. 5.

B

Ex

1. Sam. 21. 6.  
Matth. 12. 4.  
2. Sam. 7. 41.  
Hebre: 1. 6.

XLIII.

Ex Samuelis libro 1. meminit Christus Davidis comedentis panes propositionis, & ex posteriori, promissionem illam: Ergo ero illi in patrem, adducit Apostolus.

1. Regum 10. 1.  
Matth. 12. 42.  
1. Reg. 17. 9.  
Lucæ 4. 25.  
Iacob 4. 25.  
2. Reg. 5. 14.  
Lucæ 4. 27.  
1. Par. 23. 13.  
Heb. 5. 4.

XLIII.

Ex Regum libro 1. historia Reginae Austri, Sareptanæ, Eliæ; ex posteriori, sanatio Naami, et ex Paralipomenon libris, hæc verba: Nec quisquam sibi sumit honorem sed qui vocatus sit; citantur.

XLV.

Iob. 5. 13. 17.  
1. Cor. 3. 19.  
Iacob. 1. 12.  
5. 11.  
Iob 34. 19.  
Act. 10. 34.

Ex Jobo in novo testamento hæc allegata legimus: Comprehendam sapientes in astutia eorum: Beatus vir qui suffert tentationem: Non est personarum acceptor Deus.

XLVI.

Psalmi verò pleriq; omnes, Proverbia itidem multa citata leguntur, ut enumeratione speciali non sit opus.

XLVII.

Ex Prophetis deniq; mutuata testimonia in novo testamento habentur plurima: Ex Esaia sexaginta; ex Jeremia duodecim; ex Ezechiele sex, tria ex Daniele; Ex minoribus quoq; Prophetis non pauca.

XLIIIX.

Et dubitemus adhuc veterem scripturam tot novi testamenti allegationibus comprobata[m] *θεο-  
πνευστον η̄ ἀβλόπιστον εἶναι?*

XLIX.

XLIX.

Novi rursus testamenti scriptura cum ex veteri  
tum ex se probatur.

L.

Ex veteri quidem ita : Quod omnia, quæ Euan-  
gelistæ & Apostoli scripserunt de Christo, illa in vete-  
ri instrumento sua habeant testimonias & ex veteri,  
testamenti authoritate deducantur atq; confirmen-  
tur omnia.

Actor. 26. 22.  
1. Cor. 15.  
Luc. 24. 44.  
Acto. 10. 43.

LI.

Pauli quoq; Epistolæ tam ipsius autoris nomi-  
ne & indicio, quàm Apostoli Petri testatione confir-  
mantur.

2. Pet. 3. 15.

LII.

Sic igitur ex mutua scripturæ testificatione no-  
bis constat eam verè divinam, ideoq; canonicam  
esse. De cuius probationis excellentia Dominus ait :  
Si scriptis Mosis non creditis, quomodo verbis meis  
credetis? Item, Si Mosen & Prophetas non audiunt,  
neq; credent, si quis ex mortuis exusciteretur. Sequi-  
tur de testimonio Spiritus sancti.

Ioh. 5. 46.

Lucæ 16. 31.

LIII.

Spiritus sancti testimonium est interna spiritus  
testificatio, quâ nobis scripturas scrutantibus testa-  
tur eas divinas esse, & facit ut iis credamus.

LIIII.

Quemadmodum enim is solus fidei autor est,  
nosq; omnia docet, & testatur nobis in cordibus no-  
stris, nos esse filios Dei: Sic idem solus animis no-  
stris

Gen. 5. 22.

1. Cor. 3. 48.

1. Ioh. 2. 27.

Roma. 8. 16.

Rom, 8, 16.

stris persuadet & obsignat scriptam hanc à Deo pro-  
diisse.

Tantum de testimonio divino : restat humanum.

L V.

Testimonium humanum est externa Ecclesiæ  
testificatio, quæ instar tabellionis, custodis, & præ-  
conis testatur, has se literas à Dei hominibus acce-  
pisse fideliterq; asservasse.

L VI.

Ephes, 1, 14.

Cæterum ut nemo literis aliquibus credit pro-  
pter solum tabellarii testimonium, sed potius pro-  
pter ipsarum literarum materiam, dignitatem, pro-  
pter ingenium, manum, sigilla & alia ejus, qui misit,  
indicia : Sic litteras has Dei esse scimus non ex uni-  
câ Ecclesiæ, seu tabellionis testificatione, sed potius  
ex ipsarum scripturarum naturâ, indiciis, & sigillo  
id est, Spiritu sancto, quo illæ in cordibus nostris ob-  
signantur.

L VII.

Etsi igitur hoc Ecclesiæ testimonium minimè  
contemnendum : prioribus tamen testimoniis longè  
infirmius censendum est.

L IIX.

Etenim ad persuasionem animi illa sine hoc suf-  
ficiunt; non hoc sine illis.

L IX.

Nulla enim animi persuasio, sine Spiritus S. ma-  
gisterio.

L X.

## LX.

Imò Ecclesiæ creditur propter scripturæ, quam sonat, testimonia

## LXI.

Nec Ecclesia scripturæ, sed hæc illius regula existit, ad quam ut ad legem & testimonium alligata est; nec illi quicquam, extra ea, quæ scripta sunt, dicendum.

Esa. 8. 20.  
Actor. 26. 22.  
Galat. 1. 8.

## LXII.

Errant igitur Pontificii, & autoritati scripturæ derogant plurimum docendo: Scripturam non esse autenticam NISI Ecclesiæ autoritate.

Eccius in Enchir. C. 1.

## LXIII.

Item, nobis non constare NISI ex Ecclesiæ testimonio scripturam esse sacram & divinam, imò nec scire nos posse, qui libri sint verè canonici, qui supposititii, NISI id nos doceret Ecclesia.

Stapleton:  
lib. 9. C. 1.  
Princ. doctrin.

## LXIV.

Augustini dictum (ego Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoveret autoritas) libenter admittimus, intellectum secundum Cameracensis sententiam.

## LXV.

Sic autem ille: Per autoritatem Augustini non habetur, quod ipse crediderit Euangelio per autoritatem Ecclesiæ, tanquam per principium Theologicum, ex quo Euangelium theologicè probetur esse verum: sed solum tanquam ex causa movente ipsum ad fidem Euangelii.

Petrus de Alia-  
co Epif. Ca-  
merac. in sent.  
princ. lib. 9. 1.  
art. 3.

B 2

LXVI.

LXVI.

Quæ limitatio nisi admittatur, Augustinus de lapsu vix ac ne vix quidem purgabitur.

LXVII.

Quî enim fidelis dici is potest, qui Euangelio non nisi propter Ecclesiæ testimonium, nec Deo nisi hominem testem habeat, fidem adhibendam existimat?

LXVIII.

1. Joh. 5. 10. Annon, qui Deo non credit, eum mendacem facit? quia non credit testimonio, quod testificatus est Deus, & hominum testimonio majus est.

LXIX.

Quare si literam hîc urgent Pontificii; clamandum: nos non teneri autoritate Augustini illius, qui scripturæ non tenebatur autoritate.

LXX.

Aug. lib. 2.  
contra Cresc.  
cap. 32.

Et illud Augustini Augustino canendum: Ego literas Cypriani ( cur non & Augustini? ) non ut Canonicas considero & quod in eis divinarum scripturarum autoritati congruit, cum laude ejus accipio; quod autem non congruit cum pace ejus respuo.

Accepimus jam unde nobis constet, has scripturas divinas esse: nunc de earum perfectione.

LXXI.

Scripturæ perfectio est, quod perfectam & omnibus numeris absolutam fidei vitæq; Christianæ doctrinam plenè sufficienterq; tradit & explicat.

LXXII.



LXXII.

Ita esse, probant hæc luculenta testimonia: scilicet  
literæ possunt te erudire ad salutem. 2. Tim. 3. 15.

LXXIII.

Scrutamini scripturas, quia videmini in iis habere  
vitam æternam. Ioh. 5. 39.

LXXIV.

Habent Mosen & Prophetas; hos audiant, qui  
in locum tormentorum venire nolunt. Luc. 16. 29.

LXXV.

Hæc scripta sunt, ut credatis Jesum esse Chri-  
stum filium Dei, & ut credentes vitam habeatis per  
nomen ejus. Ioh. 20. v. ult.

LXXVI.

Tota scriptura divinitus est inspirata, & utilis ad  
doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, quæ  
est in Justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne o-  
pus bonum perfectè instructus. 2. Tim. 3. 16.

LXXVII.

Quod cum ita sit, Deus huic scripturæ nihil ab  
hominibus vult addi, nihil demi. Deut. 4. 2.  
Deut. 12. v. ult.

LXXVIII.

Imò væ & anathema dicitur tale quid perpe-  
trantibus. Si quis (inquit Iohan:) apposuerit ad  
hæc, imponet ei Deus plagas, scriptas in libro isto. Apoc. 22. 18.

LXXIX.

Et iterum: si angelus è cœlo annuntiaverit vo-  
bis Galat 1. 8.

bis, præter id, quod annunciavimus, anathema esto.

LXXX.

Esa. 8. 20.  
Iohan. 5. 39.  
2. Tim. 3. 14.

Proinde Prophetæ, Christus, & Apostoli homines semper ad solam scripturam, ad legem & testimonium, nunquam ad traditiones, aut aliquod aliud principium revocarunt.

LXXXI.

Nam quæcunq; in sacris litteris habentur, ea pro verbo Dei infallibiliter tutoq; creduntur; non verò, quæ extra eam tradita perhibentur.

LXXXII.

Bellarmini lib. 1.  
de Verbo Dei  
c. 3. & 12.

Hæc cum ita se habeant; vox erit plane impia Bellarmini dicentis: In scripturis non contineri expressè totam doctrinam necessariam, sive de fide, sive de moribus. Et proinde præter verbum Dei scriptum, requiri & Verbum Dei non scriptum, id est, traditiones. Et iterum ait: scriptura etsi non facta est præcipuè, ut sit regula fidei, esse tamen regulam fidei, non totalem sed partialem.

LXXXIII.

Contra Sadec-  
lem lib. 1. p.  
98.

Magis etiam impia est illa Turriani assertio: Si solam scripturam fidei regulam Christus nobis reliquisset, quid aliud haberemus, quam gladium Delphicum, quem fabri fecerunt ob inopiam?

LXXXIV.

In Enchir.  
c. 1. p. 43.

Impiissima verò est Costeri oratio: Christus Ecclesiam à Chartaceis scriptis nec pendere, nec membranis mysteria sua committere voluit.

LXXXV.

## LXXXV.

Et paulò post ait: Hujus verbi non scripti præstantia multis partibus superat scripturas, quas nobis in membranis Apostoli reliquerunt. Illud enim omnem veritatem in se habet, omnia fidei mysteria, omnemq; rationem Christianæ religionis complectitur, & omnia dubia quæ de fidei negotiis exoriri possunt, dissolvit.

## LXXXVI.

Sed quæ illæ sunt tantò opere laudatæ tamq; necessariae ad salutem traditiones? Invocatio, inquit, Sanctorum; cultus imaginum; stata jejunia; quadragesima; cælibatus sacerdotum; Indulgentiæ; purgatorium, primatus Episc. R. Septem esse Sacramenta; consecratio aquæ & Olei in Baptismo; unctio Christianatis, oblatio Sacrificii altaris; Missæ celebratio pro defunctis, & centum aliæ.

## LXXXVII.

Egregia verò & Apostolico nomine digna mysteria, & à seculo abscondita, quæ si, ut volunt, ad salutem necessaria sunt, quid fiet Prophetis, Apostolis, & qui cum illis vixerunt fidelibus, quibus hæc ignota fuere?

## LXXXVIII.

At divinitus, ais, instituta sunt nec Apostolis ignota: audio; sed quo id probabis testimonio? hominum enim non recipio; majus volo, & infallibile.

## LXXXIX.

Næ igitur illi sapiendo faciunt, ut supra id, quod  
C scri-

scriptum est, sapiant, contra Apostoli præceptum & exemplum.

XC.

Nihil enim Apostoli extra scripturam docuerunt unquam: aliam ergo hodie docendi viam & licentiam affectant Pontificii, docentes multa extra id, & sapientes supra id, quod scriptum est.

XCI.

Quid? quod istæ nugæ cum scripto Dei verbo haud obscure pugnant, proptereaq; aut scriptura, aut traditiones illæ falsæ dicendæ erunt; scripturâ autem falsam dicere ne ipsi quidem audent, Quid igitur obstat, quo minus harum stropharum falsitatem nobiscum fateantur?

XCII.

Porro quod ajunt, multa ad salutem necessaria in scriptura non haberi ut sunt: Symbolum Apostolicum; descensus Christi ad inferos, perpetua Mariæ virginitas, pædobaptismus, renunciatio Satanæ in Baptismo; signatio crucis, paschatis celebratio die Dominica. item, vocabula illa; Trinitas, ὁμοούσιον, Originale peccatum, etc. Indeq; concludunt, scripturam insufficientem esse; errant modo non uno.

XCIII.

Etenim hæc partim in scriptura habentur si non ad literam, tamen quo ad sensum, quem intendimus; partim ad salutem non sunt necessaria.

XCIV.

Quapropter salva adhuc manet scripturæ perfectio, ideoq; concludimus; solo Dei verbo scripto  
nobis

nobis standum esse. Sequitur igitur de scripturæ  
perspicuitate.

XCIV.

Scripturam verò ex parte perspicuam, ex par-  
te obscuriorem difficilioremq; agnoscimus.

XCVI.

Perspicuam quidem, quia omnia ad salutem ne-  
cessaria dogmata, apertis verbis, si non ubiq;, passim  
tamen proponit.

XCVII.

Summa namq; doctrinæ ad salutem necessariæ  
capita, de fide scilicet & bonis operibus, multis lucu-  
lentisq; conspicienda exhibet sententiis.

XCVIII.

Hinc illa scripturæ encomia: Verbum Dei est lu-  
cidum. Verbum tuum est lucerna pedibus nostris,  
& lux viæ nostræ. Præceptum Dei est lucerna, &  
doctrina est lux. Habemus firmiorem sermonem  
propheticum, cui rectè facitis, quod attendatis, ve-  
lut lucernæ splendenti in obscuro loco, usq; dum dies  
illucescat, & Lucifer exoriatur in cordibus vestris.

Psal. 119. 9.  
Psal. 119. 105.  
Prov. 6. 22.  
2. Pet. 1. 19.

XCIX.

Propter hanc eius claritatem dicitur illumina-  
re, & lumen afferre parvulis.

Psal. 119. 130.

C.

Sic Evangelii perspicuitatem asserit Paulus in-  
quiens: Si opertum est Evangelium nostrum, iis, qui  
pereunt, opertum est, in quibus Deus huius seculi

2. Cor. 4. 3.

excœcavit mentes infidelibus, ne irradiet eos lumen  
Euangelii.

CI.

Deut. 30 v. 11.

Doctrinæ deniq; per Mosen traditæ evidentiam  
prædicat ipse J E H O V A : Mandatum hoc quod e-  
go præcipio tibi hodie, non est occultum á te,  
neq; longinquum; Non est in cœlis, ut dicas, quis  
ascendet nobis in cœlum, qui sumens illud, enunciet  
nobis, ut faciamus? neq; est ultra mare, ut dicas, quis  
transibit nobis mare, qui sumens illud, enunciet no-  
bis, ut faciamus illud? Sed propinquum est tibi ver-  
bum hoc valde, in ore tuo & in animo tuo ad faci-  
endum illud.

CII.

Stante igitur hac tanta scripturæ perspicuita-  
te, sequitur eam etiam á populo Christiano legi pos-  
se non sine fructu & utilitate,

CIII.

Bell; lib. 1.  
de Verbo Dei  
3. c. 1.

Valde itaq; injurii sunt Pontificii tam in scriptu-  
ram, quam in populum Christianum. In scripturam  
quidem dum eam obscuram esse contendunt; in po-  
pulum verò, dum eum á sanctissima scripturæ lecti-  
one abarcent.

CIIII.

Atq; sic ostendimus scripturæ ex parte clarita-  
tem: eoq; ipso quandam ejus nonnullis in locis ob-  
scuritatem innuimus & difficultatem; ideoq; inter-  
pretatione opus esse accurata, ut etiam ex hac parte  
nobis affulgeat clarior atq; illustrior.

Illud

CV.

Illud autem summum scripturas interpretandi  
judicium esse penes Spiritum sanctum in scripturis  
loquentem, nobis plane persuasum habemus.

CVI.

Spiritus sancti autem iudicium illud intelli-  
gimus, quod in scripturis consignatum & publicum  
est; nec enim ullum Spiritus sancti iudicium publi-  
cum censendum, quod in scripturis comprehensum  
aut definitum non inveniatur.

CVII.

Hoc, inquam, Spiritus S. iudicium seu ipsam  
scripturam sacrarum literarum interpretem statui-  
mus & probamus, cum ex perspicuis scripturae testi-  
moniis, tum evidentibus rationibus.

CVIII.

Testimonia hæc sunt: Spiritus ille veritatis de- Ioh. 16. v. 13.  
ducet vos in omnem veritatem.

Nemo novit quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei. 1. Cor. 2. v. 11.  
Item: quæ loquimur non sermonibus, quos docet & 13.  
humana sapientia, sed quos docet Spiritus S.

Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat Apoc. 2. v. 7.  
Ecclesiis.

Et Apostoli in decisione controversiæ de obser- Act. 15. v. 28.  
vatione Ceremoniarum Moysaicarum motæ scri-  
bunt: Visum est spiritui S. & nobis.

CIX.

Rationes seu argumenta ex scripturis sumpta

C 3 hæc

2. Pet. 1. v. 21. hæc sunt: 1. Quisq; suorum scriptorum verbo-  
Actoꝝ. 28. v. 25. rumq; optimus interpret. Quis enim de legis seu  
2. Tim. 3. v. 16. edicti alicujus sensu rectius judicabit, quàm ipse le-  
gislator? Jam vero constat Spiritum S. Scripturæ ef-  
se autorem, ideoq; optimum ejus interpretem.

CX.

2. Quia hoc Spiritus S. in scriptura judicium est  
certum infallibilisq; veritatis, & vel ex mortuis re-  
fusciatorum judicio anteferendum, sicut scriptum  
est: si Moysen & Prophetas non audiunt, nec cre-  
dent, si quis ex mortuis resurget.

Lucæ 16. 31.

CXI.

Ad hoc igitur Spiritus S. judicium cum laude  
provocârunt Beroënses, qui audientes Pauli doctri-  
nam quotidie scrutabantur scripturas, an hæc ita se  
haberent.

Acto, 17. 11.

CXII.

Ejusmodi interpret & judex, qui errare potest,  
hic minimè admittendus: Errant autem, quicumq;  
extra scripturam de controversiis judicant, teste  
Christo; Erratis nescientes scripturas. Quare nul-  
lus extra scripturam admittendus est interpret, &  
judex, sed solus Spiritus S. in scripturis loquens au-  
diendus.

Marth. 22. 29.

Marc. 12. 24.

CXIII.

Hunc summum de scripturæ sensu judicem,  
hanc unicam infallibilemq; de controversiis judi-  
candi normam, non privatum suum quenq; Spiri-  
tum sequi debent omnes judices inferiores, id est,  
homines tam privati quàm publici.

CXIV.



CXIV.

Privati quidem illud iudicium de quavis sibi proposita doctrina vitandæ seductionis ergo sequi & exercere passim jubentur. Cavete vobis à pseudo-prophetis.

Matth: 7. 15.  
1. Ioh. 4. 1.  
1. Thes. 5. 21.  
1. Cor. 10. 15.  
Hebr. 5. 14.  
Actor. 17. 11.

Ne cuius spiritui credite, sed probate Spiritus, an ex Deo sint.

Omnia probate, quod bonum est tenete.

Judicate vos ipsi quod dico.

Et omnes Christianos exercitatos sensus habere vult Apostolus, quales quidem in exemplum nobis proponuntur Beroënses.

CV.

Publici quoque viri vocatione & autoritate docendi publica ornat, similiter de sensu scripturæ & controversiarum ex hoc Spiritus S. iudicio unice iudicare tenentur tribus de causis.

CVI.

1. Quia Dominus eos vocat ad legem & testimonium 2. Quia unicum theologiæ fundamentum est scriptura; Cum qua quicquid congruit, verum est; falsum, quicquid discrepat. 3. Quia Christus & Apostoli, quorum imitatores esse jubentur, de controversiis ex sola scriptura iudicasse scribuntur.

Esa. 8. 20.  
Iohan. 5. 19.  
2. Pet. 1. 19.  
Ephes. 2. 20.  
1. Cor. 3. 11.  
1. Cor. 11. 1.  
Matth. 4.  
Matth. 22. 30.  
& 43.  
Matth. 9. 13.  
Luc. 24. 25.

Roma. 4. 3. Galat. 5. 30. Actor. 9. 22. Actor. 17. 11.  
Actor. 2. toto c. Actor. 18. 28. &c.

CVII.

Gravissimè igitur hic errant Pontificii, dum ab hoc summo & infallibili iudice appellant, & Ecclesiam

Bell. lib. 3. c. 3.  
de verbo Dei.

fiam, id est, Papam cum suis Conciliis omnis interpretationis & controversiarum judicem constituunt.

CIIIX.

lib. 1. cap. 2.  
de verbo Dei.

Ad hanc impiam eorum arrogantiam derogandam præter jam dicta, Bellarminum Bellarmino & sociis ejus oppono: sic igitur ille contra Libertinos; Quare cum sacra scriptura regula credendi certissima tutissimaq; sit, sanus profectò non erit, qui ea neglecta Spiritus interni sæpe fallacis, & semper incerti judicio se commiserit. Hæc Bell: & rectè. Jam mutato nomine de Papistis ista usurpare quid vetat? Quare cum sacra scriptura regula credendi certissima tutissimaq; sit, sanus profectò Bellarminus & socii ejus non erunt, qui ea neglecta verbi non scripti, Papæq; sæpe fallacis, & semper incerti judicio se commiserint.

Hactenus de S. scripturæ æstimatione: reliquus est ejus usus.

CIX.

Hic autem duo notanda veniunt, quorum unum est, quibusnam hominibus sacra scripturæ usus concedendus; alterum, quomodo illa ad usum transferranda sit.

CX.

Primò itaq; scripturæ usum omnibus Christianis communem statuimus, & quidem in linguâ cuiq; Ecclesiæ vernaculâ. Idq; propter has causas.

CXI.

i. Quia Dominus Ecclesiæ toti suam voluntatem scribi

scribi, verbum suum literis mandari & scripturas commendari voluit, atq; eâ quidem linguâ quæ non modo Ecclesiasticis sed & laicis nota esset.

Deut. 31. v. 11.  
Ioh. 5. v. 39.  
Ioh. 20. v. 31.  
Rom. 15. v. 4.

CXII.

2. Quia in primis regi & magistratui scripturæ lectio demandata est; Neq; ab ejus lectione vel Eunuchum quamvis laicum, Philippus, vel Beroënſes Paulus avocare voluit.

Deut. 17. v. 19.  
Iosu. 1. v. 8.  
Act. 8. v. 35.  
Act. 17. v. 11.

CXIII.

3. Quia nulli Christiano arma contra Satanam, qualia sunt scripturæ, adimenda sunt.

Matth. 4. v. 4.  
Ephes. 6. v. 16.

CXIII.

4. Deus populum suum vult eruditum in omni cognitione spirituali, & passim de ignorantia conqueritur, quapropter scripturæ lectio ad eam scientiam comparandam illi deneganda non est.

Num. 11. v. 29.  
Deut. 4. v. 6.  
Colofs. 1. v. 9.  
Colofs. 3. v. 16.  
Colofs. 2. v. 2.  
1. Cor. 1. v. 5.  
Psal. 1. v. 9.  
2. Pet. 1. v. 5.

CXV.

5. Hinc præclare Chrysostomus. Audite obsecro seculares omnes: comparate vobis BIBLIA: animæ pharmaca. Si nihil aliud vultis vel NOVUM Testamentum acquirite. Si acciderit mœsticia huc veluti ad apothecam pharmacorum incumbere: Hinc tibi fume solamen mali, sive damnum evenerit, sive mors, sive amissio domesticorum, hoc demum malorum omnium causa est, quod scripturæ ignorantur. & mox sic patresfamilias alloquitur: omnia humeris nostris injicitis: vos oportebat duntaxat à nobis institui, uxores verò & liberos à vobis.

Homilia 9. in  
Epist. ad Colof.

D

CXVI.

CXXVI.

Hoc jam probato: Sequitur scripturas in communes linguas vertendas esse; aliâs enim à populo cum fructu legi non possent.

CXXVII.

Unde & Christus, omnesq; Apostoli, & ante eos Prophetæ omnes, Ecclesias suas linguâ illis patriâ docuerunt, & sacra peregerunt reliqua; idq; sine mysteriorum divinorum contaminatione.

CXXVIII.

Ac ut nihil dicam de veteris Testamenti ex sancta lingua in Ethnicam seu Græcam translatione, quæ ab Apostolis & lecta & allegata est, sane constat Hieronymum scripturas Dalmaticè, Chrysostrum Armenicè, & alios alias in linguas transtulisse, in iisq; sacra peregerunt;

CXXIX.

1. Cor. 14. v. 20.  
Quocirca & hodiè preces aliâq; officia Ecclesiastica vernaculâ cujusq; Ecclesiæ linguâ peragenda sunt, juxta mandatum & exemplum Apostoli, qui ait: Malo in Ecclesia quinq; verba ex intelligentia mea loqui, ut & alios instituum quàm decem millia verborum lingua scilicet ignota. Item: Nisi sciero vim vocis, ero ei, qui loquitur barbarus, & qui loquitur mihi barbarus erit, & si benedixeris Spiritu, quomodo idiota dicturus est Amen ad tuam gratiarum actionem? Nam quid dicas, nescit, nec ædificatur.

1. Cor. 14. v. 16.

CXXX.

Unde & ipse Cajetanus in Comment: supra hunc

hunc locum 1. Cor. 14. ait: In hac Pauli doctrina habetur quod melius ad Ecclesiæ ædificationem est, orationes publicas, quæ audiente Populo dicuntur, dici lingua communi Clericis & populo, quàm dici latinè.

CXXXI.

Et Lyranus: Quod si populus intelligit orationem seu benedictionem sacerdotis melius reducit in Deum & devotius respondet A M E N.

Nicol: Lyranus  
in postill: 1.  
Cor: 14.

CXXXII.

Peccant igitur Pontificii in Deum & homines, quod prohibent ne laicis concedatur scripturæ lectio & ne in publico ac communi usu Ecclesiæ legantur scripturæ vel canantur vulgaribus linguis.

Concil. Trident.  
Sess. 22.  
Cap. 8, can. 9.

Tantum de Personis quibus scripturæ lectio committenda: Nunc quomodo ad usum transferenda sit dicemus.

CXXXIII.

**E**Um Paulus uno hoc generali vocabulo completus est: Omnia ad **ÆDIFICATIONEM**.

1. Cor. 14. 26.

134. Hunc generalem usum rursus ita distribuit: Tota scriptura utilis est, ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, & ad institutionem, quæ est in Justitia.

2. Tim. 3. 15.

135. Hic omnem scripturæ usum ad duo refert, Theoriam sc. & praxin, seu ad fidem & vitam Christianam.

136. Ad Theoriam pertinent hæc duo *διδασκαλία* id est, doctrina, καὶ ἐλεγχοῦ id est, redargutio.

Per *διδασκαλίαν* intelligit doctrinam sanam: Tit: 1. v. 13.

D 2

Per

Per ἔλεγχον seu redargutionem, refutationem falsi dogmatis, de quo Tit: i. v. 9, sic ait: Ut possit per doctrinam ἀντιλέγοντας ἔλεγχειν contradicentes convincere. Et paulò post: Sunt enim quibus oportet os obturari. Est enim scriptura ad utrunq; utilis, tum ad veritatis institutionem tum ad falsitatis refutationem.

137. Ad Praxin verò seu vitam Christianam pertinent hæc duo: ἐπανορθεσις id est, correctio καὶ παιδεία id est, institutio. Per illam intelligit omnis impietatis extirpationem, per hanc omnis pietatis & Justitiæ plantationem. In quibus duobus vitæ Christi- anæ consistit perfectio, ad quæ passim nos hortatur scriptura: Desiste à malo & fac bonum.

138. Hæc institutio respicit vitam hominis tum in rebus secundis, tum adversis.

In rebus secundis, ut abnegata omni impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter, justè, piè vivamus.

In adversis verò, ut per scripturam, patientiam, consolationem, & spem consequamur vitæ æternæ, quæ fidei nostræ finis in quo fine & Thesium nostrarum finis.

### Errata Typographica.

Thef: 8. pro sum l. suum. Thef: 15. pro Apocryphin l. Apocryphi. Thef. 43. pro ergo l. ego. Thef. 50. omnia dele. pro testimonias l. testimonia, pro veteri l. veteris, Theses 54. pro scriptam l. scripturam, Thef. 70. pro scriptuarum l. scripturarum, Thef. 88. pro ignotæ l. ignota, post numerum 114. sequentibus interpone X. ad numerum usq; 122. reliqua æquus lector ipse corriget.

Ierem. 1. 10.  
Esa. 1. 17.  
Psal. 34. 15

Tit. 2. 12.  
Rom. 15. 4.  
1. Cor. 14. 26.  
1. Pet. 1. 9.

up 19 matt dag fol 20 januar 10 6. 43  
inc 18. 15

AB42 15  
18, 10

ULB Halle 3  
002 729 741  


S. 6.

WA

Rehe ✓




PER DISCREPANSIAS ADYRES ANMOS RUS  
M GRUATIONIS ET GRUATIONIS.  
MERT IN ETERNUM IN CONFECTU DEI.  
ADIAM ET VERITATEM CUIS QUIS RE  
SIC PSALMUM DICAM NOMINI Tuo  
SICULI: UT ROBAM UOTA MEA DE DIE





27

DE VERBO DEI,  
THESES THEOLOGICÆ.  
de quibus  
IN NOVO COLLEGIO MAURITIANO  
disputantibus  
σὺν θεῷ  
respondebit  
Illustris & generosus Dominus, Dominus  
JOHANNES ERNESTUS  
Comes in Nassavv &c.  
Præfide  
GREGORIO SCHÖNFELT D.



CASSELLIS  
die 3. Novembris mane hora 7.  
ANNO 1599.

